

Legia Catholica

Robertii, Johannes

Leodii, 1633

30. S. Hubertus primus Episcopus Leod.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64596](#)

XXX. S. H V B E R T V S.

TRicesimus iste est à S. Materno , sed propriè Primus Tuus, (iterum te alloquor) ô LEGIA CATHOLICA. Huic Episcopatum debes, quem ad te transtulit cum sacro S. Lambertii Corpore. Potesne dubitare, fueritne Catholicus, qui Lamberti Magistri sui usus consilio, Romam adierit, Apostolorum sacra Pignora supplex adoratus : qui inibi, eius morte diuinatus cognitâ, ipsius pedo ab Angelo allato, à Sergio Papâ illi sit surrogatus : qui sacrâ STOLA , mirabilium & stupendorum miraculorum , tot iam secula, patratrice, fuerit ornatus : qui Lamberti Magistri Corpus, tamquam sacras Reliquias transtulerit : qui Ecclesias ædi-

ædificari, & Pontifex sacrauerit, Catholicis cæremonijs adhibitis: qui aqua, & oleo benedictio sit usus: qui Angelico concentu, in exequijs honoratus fuerit: cuius denique Corpus à putredine diuinitus sit conservatum? Dubitet hunc Catholicum fuisse, qui ipse Catholicæ Communionis expers est. Sanctissimè obiit anno 727.

XXXI. S. FLOREBERTVS

SVcessit S. Huberto, Sancto Patri, Sanctus Filius, Florentius: de quo hoc tantum occurrit notandum, Patris vestigijs institisse; utique maximè intuenda Fide, & Religione Catholica.

XXXII. FVLCARIVS.

Obtinuit ab Imperatore Ludouico, ut Ecclesiæ Leodiensis